

(e) Flensburgensem, commendo. Bene
vale Basileæ 26. Augusti 1587.

EPISTOLA LI.

S Vir clarissime & Compater ἐμῶ κεχα-
ρισμένε Δυμῶ. Credo tam te non mi-
rari meum silentium, quam tuum ipse non
miror. Audio enim te varietate negocio-
rum & legationum distrahi, ac ut par tan-
tæ moli sis, Deum, qui robore sufficit, oro
& obtestor. Philippus tuus frater spem mi-
hi Imaginis tui Dn. Parentis vestri fecerat.
Pictam igitur expectabam. Sed tu auream
misisti exemplar, non tantum id testificans,
te vultu D. Parentem tuum repræsentare,
sed etiam magnificentia, nisi cum Aristote-
le mediocritatem sectari & liberalitatem vo-
care

(e) natus Flensburgi 1561. Philosophicis studiis
imprimis Mathesi diligenter incubuit. Postea
Italiam petiit Patavii Medicinæ operam de-
dit, & redux 1587. M. D. Basileæ renuntiatus est.
Inde celebriores partes Germaniæ perlustravit,
qua occasione etiam Noribergam venit, & sibi
forsitan a Grynæo commendatitias expetiit, quas
etiam ei concessas ex literis his videmus. Rever-
sum Ill. Philippus Dux Holsatiæ Gottorpium vo-
cavit Medicumque suum constituit, A. 1591. ve-
ro delatam in Hafniensi Academia Mathemati-
cam Professionem adiit. Obiit 1656. æt. 96.